



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs XXXV. De Statu Monachorum & Canoniorum Regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)



TITVLVS XXXV.

De Statu Monachorum & Canonico-
rum Regularium.

Status seu vivendi rationes, quibus Fidelis alteri perpetuò & irrevocabiliter devincitur à S. Thoma 2. 2. q. 189. art. 1. in Ecclesia assignantur tres, Episcoporum, Religiosorum, Conjugatorum. Religiosorum, ad hanc Rubricam declarandum, Statum præcipuè constituunt Vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ: quæ propterea Religionis Substantialia dicuntur.

ARTICULUS I.

De Origine Natura & Varietate Religionum.

SUMMARIUM.

1. Religiosus Status, in Veteri salùm adumbratus,
2. In Nova Lege institutus est à Christo:
3. Ejusque Regula ab Ecclesia approbata.
4. Definitio Status Religiosi:
5. De cuius essentia sunt Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ vota.
6. Sive ea Simplicia sive Solemnia sint.
7. Dummodo iis, cum sui traditione,
8. Et perpetuitate,
9. In vita Statu ab Ecclesia approbato editis,

10. Persona certæ Regule ac Prælati subijciatur:
11. Licet ab his aliquando eximatur.
12. Religiones quædam Contemplativæ vel Activæ tantum:
13. Aliæ ex utraque Mixtæ,
14. Et singulis illis perfectionem vicinam proficiunt.
15. Rursum aliæ Monachales vel Clericales:
16. Aliæ Mendicantes,
17. Et aliæ Militares vel Hospitalitæ dicuntur.

Religiosi Status institutio nequaquam novità, ut Hæreticorum ejus odio obsecutorum commentum aliquando fuit: sed jam in Veteri seu scripta Lege à Nazaræis, Elia, Elifæo & aliis nonnullis adumbrata: in Nova autem seu Gratia lege Apostolis coæva, & quoad substantiam profecta est ab ipso Servatore nominatim profecta est ab ipso Christo Domino, ad tria Concilia Evangelica, quorum vota Statum illum præcipuè constituunt, homines invitante & exhortante, Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes & da pauperibus, Matth. cap. 19. v. 21. Sicut Eunuchi, qui seipso castraverunt propter regnum cælorum: qui potest capere capiat, ibidem v. 12. Qui vult venire post me, abneget seipsum

mei ipsam, Matth. cap. 16. v. 24. Quorum Consiliorum primò voluntariam Paupertatem: alterò Castitatem: postremò voluntatis suæ abnegationem sive Obedientiam clarè proposuit: & quæ ipse proposuit, magnà promptitudine & fervore amplexi sunt Apostoli; cum ad Consilia illa sequenda exhortanti, omnium nomine respondens Petrus, *Ecce, inquit, nos reliquimus omnia, Domos, retia, uxores, ipsas etiam proprias voluntates, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Matth. cap. 19. v. 27. Bellarminus Lib. 2. de Monachis cap. 4. & Pontius Lib. 7. de Matrim. cap. 2. § 3.

Cum tempore tamen, Fidelium secundum Evangelicam illa Consilia viventium fervore remittente, viri, quibus primævus & Apostolicus fervor adhuc inerat, à civitatibus & humanis cætibus discedentes incolere cæperunt solitudines & Monasteria, priorum liberalitate passim erecta: in quibus sub alicujus capitis seu Prælati jurisdictione & Regula, sive certis & ab Episcopis primùm, postea à sede Apostolica approbatis vivendi modis communem vitam agere cæperunt, & ad nostra usque tempora propagarunt, Laiman Lib. 4. tract. 5. cap. 2. n. 1. Unde

Status Religiosus, secundum Divinam institutionem & huic supervenientem ordinationem Ecclesiasticam acceptus, à Doctore illo cap. § n. 1. ad mentem D. Thomæ 2. 2. q. 186. art. 1. esse dicitur Fidelium ad Christianam Perfectionem tendentium, editis tribus Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ votis, stabilis & ab Ecclesia approbatus modus vivendi in communi: Juxta quam à cæteris DD. passim receptam definitionem ad Religiosum Status essentiam hodie requiruntur

Primò prædicta tria Vota: in quibus præcipuè ejus essentiam constituendi ratio fuit; quòd Status Religiosus vi suæ

institutionis sit Schola seu disciplina consequendæ Perfectionis Christianæ: hanc autem consequendi medium & ratio expeditior non sit, quàm observantia trium Evangelicorum Consiliorum; cum eorum professione perfectè renuntietur desideris terrenis & accuratà observantiâ efficaciter removeantur præcipua impedimenta Divini amoris & Unionis hominis cum Deo, in qua Christiani hominis Perfectio consistit. Quod de Paupertate planum est ex verbis Christi, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia &c.* Matth. cap. 19. v. 21. & perspicua ratione; quia ejus professione amputatur omnis sollicitudo circa divitias & bona terrena, quorum desideris & cupiditate humana mens à Deo divinisque abstrahitur, turbatur animi pax & si quæ in rebus humanis esse potest, felicitas è medio tollitur. De Castitate disertè docuit Apostolus, cum ait, *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ domini sunt, quomodo placeat Deo: qui cum uxore est, sollicitus est, quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori, & drorsus est,* 1. Corinth. cap. 7. v. 32. ut soli Deo vacare libere non possit; cum ab ejus amore rerumque caelestium prosecutione non tantùm carnalium delectationum voluptate & frequenti usu, sed uxori etiam ac liberis providendi quotidianâ sollicitudine plurimùm impediatur. De Obedientiâ; quòd, cum hominis Perfectio ab ejus voluntate maximè pendeat, ne ista sui amore decepta ad sequiora facilè deflectat, in amore Dei cæterarumque virtutum & Perfectionis studio alienâ directione conservetur; quia *Obedientia Virtus est, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit,* ex sententia S. Gregorii M. Lib. 35. Moral. cap. 10.

Non defuerunt DD. qui ad Religiosum statum tria ejusmodi vota Solemnia requiri, existimarent. Sed malè; cum

S s s s a

Simplicia

Simplicia sufficere, hodie omnino indubitatum sit ex *Constitutione* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente*, edita 8. *Calend. Jun. 1584.* quæ nunquam satis laudatus hic summus Pontifex in Societate JESU non Professos duntaxat, Solemnibus ejusmodi votis obstrictos, sed Coadjutores etiam Formatos, & generaliter omnes, qui in ea post exactum probationis biennium, ejusmodi votis Simplicibus in superioribus manibus editis Societati se dedicant & actu tradunt, veros Religiosos esse, luculenter declaravit. Imò primis Ecclesiæ seculis Statum Religiosum non solemnibus: sed, ut modò, Simplicibus votis constituisse; & talia duntaxat ab ipsis SS. Basiliū, Benedicti & Augustini Monachis initiò edita fuisse, contendit & multis ostendit Pontius *cit. Lib. 7. de Matrim. cap. 22. n. 2. § 3.* Ratio, cur ea sufficiant, est; quia tria illa vota, sicut Solemnia sic etiam Simplicia emittens ad obsequium Dei perpetuò & irrevocabiliter se tradit Religioni: quæ traditione istius & Dei nomine à Prælo, ut solet, acceptatà, qui ea emisit, ad Christianam Perfectionem tendere non minus, quàm is, qui Solemnia edidit, obligatur, *c. Rursus 6. Qui clerici Evocent.* ut ab obligatione illa & Religione recedere non possit.

Neque, ad statum illum vota Solemnia exigi, evincit; quòd *c. Porrectum 13. de Regular. § c. Religiosi 21. §. fin. de Sent. excom. in 6.* & similibus textibus aliis Religiosos fieri, asseratur, Professione: & quòd Solemnia Statum perfectiorem & firmiorem constituunt, quàm Simplicia; quia imprimis, licet antiquiori Deeregalium Religiosi efficerentur solà Professione, modernò tamen Jure eos tales votis etià Simplicibus in Religione approbata editis constitui, indubitatum est ex *cit. Constit. Gregoriana.* Deinde; quia post hanc publicatam *Professione & Professi* nomini-

bus latius acceptis etiam ejusmodi votis Simplicia eaque emittentes venire, innuatum est *Tit. 31. n. 71.* & tradit Sanchez *Tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 8. n. 1.* Et demum; quia ex votorum Solemnitate proveniens major firmitas Religiosi Status perfectio accidentaliter duntaxat, non substantialis est; cum Religiosus Status sine ea confliterit præcis illis seculis & hodie consistat, Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 1. n. 2.* & Pontius *cit. n. 2.*

Secundò, ad Religiosum Statum ex parte fidelis tria illa vota emittentis exigitur sui traditio, quæ ipse ad perpetuum Dei obsequium se Religioni adhibet ac dedicat; & ex parte Religiosi acceptatio, quæ illius nomine à Prælo vel ex istius commissione ab alio facta, ille statum mutat, & à seculo in fortunam familiam Dei, à libertate in spirituali servitute sive jus & potestatem Religionis perpetuò tranfit, *c. Porrectum 13. Suarez Tom. 3. cit. lib. 2. cap. 4. n. 5.* & Pontius *cit. Lib. 7. cap. 8. n. 1. § 3.* Quæ ex Obedientia voto siveque traditione & istius acceptatione orta Prælatorum in Religiosos potestas non Jurisdictionis & Clavium, sed tantum Dominatæ vel Domesticæ est; & perinde, ut ipsis in subditos sibi Religiosos, sic Abbatissis, Priorissis &c. competit in Moniales; cum et ipsius sibi subiectarum personarum regere: ea, quæ Instituto seu proprio Statui Religioso & disciplina Regulari conformia sunt, præcipere: inobedientes ac delinquentes corrigere, ac punire possint, ut *Lib. 1. Tit. 31. à n. 100.* est explicatum.

Tertiò, ad eum exigitur; ut quis ad tria illa Consilia Evangelica observanda votorum non solum ad tempus, sed perpetuò sive usque ad finem vitæ obligetur, & illam vivendi rationem libere dimittente nequeat: sicut Episcopus Ecclesiam &

conjugem coniu dimittere vel deserere vi Statu sui non potest; quia ipso Statu nomine quaedam immutabilitas & perpetuitas denotatur, *citt. S. Thomas 9. 186. art. 6. & Sanchez n. 18.* Quare, licet Papa omnium, & quorundam Religiosorum vota ab istorum superioribus solvi sinat, iisque ligati à Statu suo absolvi queant, nulla tamen vera Religio est aut dari potest, quæ liberè deferri possit ab ipsis Religiosis, ut probè advertit Pellizarius *Mannual. Regular. Tract. 5. cap. 1. n. 17.*

9. Quartò; ut status seu vivendi modus à Sede Apostolica, tanquam vera Religio, sit approbatus, *c. fin. de Relig. dimib. S. c. Unio; eadem Rubr. in 6.* quibus textibus Religionum approbatio causis Majoribus, Sedi Apostolicæ reservatis, connumeratur, ut *ad Rubr. seq. n. 24.* statuetur.

10. Quintò; ut, qui Religiosa illa vota edit, vivat sub certa aliqua Regula seu Constitutionibus, & Prælato seu superioris jurisdictione & spirituali potestate ab eo, qui Religionem approbat, accepta vel derivata. Quæ potestas cum non solum Dominativa, sed Clavium sit, & in mulieres non cadat, Abbatibus duntaxat & similibus Prælati respectu Regularium sibi subjectorum, & saepe etiam respectu Monialium (vel istarum respectu Episcopis) competit; ut illis non solum præcipere, prohibere &c. sed etiam contumacibus censuras infligere, infidelitas respicientibus relaxare &c. queant, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 31. à n. 94.*

11. Cui non obstat; quòd Religiosi aliquando promoveantur ad Parochias: imò ad Episcopatus, & ipsos etiam S. R. E. Cardinalatus assumantur; quia tales, licet quoad aliquos Paupertatis & Obedientiæ effectus eximantur, utriusque tamen, & Continentiæ votis adstricti manent. Ad Parochias etiam promo-

ti suæ Religionis habitum deferre, Regulam in iis, quæ cum munere & functionibus Parochialibus commode consistunt, observare &c. Parochiâ per renuntiationem vel privationem dimissa, ad Monasterium & Obedientiam redire tenentur. Episcopi etiam & Cardinales, licet tanquam personæ in Magisterio & supra Prælatum suum Regularem constituta ab istius Obedientia & jugo Regulæ eximantur, tamen subjiuntur summo Pontifici, tanquam supremo & generali omnium Religionum Prælato, à quo ad Monasterium & pristinam Obedientiam reduci possunt. Imò casu, quò propter culpam non solum diocæsi, sed ipsa etiam dignitate & Privilegiis Episcopalis & Eminentia illâ omnino privantur, redire tenentur, Henriquez *Lib. 10. cap. 32. n. 4.* & Laiman *cit. cap. 1. à n. 9.*

Quantumvis autem in hætenus declaratis Religiosi Statu substantialibus Ordines omnes conveniant, accidentaliter tamen non modica eorum differentia & varietas est, istiusque causa sunt particulares & proprii singulorum fines ac media seu functiones atque exercitia, quibus ad Christianæ Charitatis perfectionem, finem omnibus communem, per votorum observantiam tendunt; hinc enim Religiones aliquæ vitæ Contemplativæ, aliæ Activæ vel ex utraque Mixtæ dicuntur: prout ex proprio suo Instituto principaliter vel soli Orationi lectionique spirituali & rerum Divinarum contemplationi vacant, ut qui SS. Basilii, Benedicti, Bernardi & Brunonis Regulas profitentur: vel, ut Militares & Hospitalarii, in proximum exercendis spiritualibus vel corporalibus Misericordiæ operibus occupantur, instar duarum sororum Mariæ & Marthæ, quarum ista necessarius Christo ministrandis, illa di-

vinis ejus eloquiis excipiendis intenta fuisse, perhibetur Lucae *cap. 10. à v. 38.* vel demum æque principaliter intentæ sunt utrisque, ut SS. Augustini, Dominici, Francisci, Societatis JESU, usque affines aliæ quædam Religiones. Ex quibus Religiosis familiis sicut, quæ Contemplationi vacant, simpliciter meliores & perfectiores sunt solam Activam tenentibus, juxta illud Christi, *Maria*, Contemplativam adumbrans, *optimam partem elegit*, Luc. *cap. cit. v. 42.* ita utraq; hæc seorsim accepta perfectiores sunt, quæ ex proprio suo Instituto Orationi rerumque Divinarum contemplationi simul & Misericordiæ operibus, præsertim per verbi Divini prædicationem & Sacramentorum administrationis incumbendo, utramque illâ vitam conjungunt, cum; quia Episcoporum omnium perfectissimæ, imò Apostolorum & ipsius Christi Servatoris nostri vitæ, quæ omnis Perfectionis idea & absolutissimum exemplar est, magis sunt conformes: tum verò; quia vi sui Instituti Deo simul & propter Deum proximo vacant, & ad Christianæ Charitatis perfectionem consequendam optimis mediis & exercitiis sunt instructæ, S. Bernardus *de Grad. Perfectæ vitæ*, S. Thomas *2. 2. q. 188. art. 2.* & Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 41. n. 20.*

14. Præterea Religiones aliquæ sunt Monachales, aliæ Clericales, aliæ Mendicantes, & aliæ Militares aut Hospitalariæ. Quarum vi proprii Instituti Monachales sive Cœnobiticæ principaliter vitam Contemplativam & solitariam sectantur, *can. Monachus 4. & can. Si cupit 16. q. 1.* Clericales spiritualibus Ministeriis, cultûs Divini & animarum salutis procuracione occupantur, ad eaque ordinatione Ecclesiasticâ deputantur.

15. Mendicantes, vitam Contemplativam cum

Activam conjungentes, & bonorum immobilium possessionem vi Instituti sui excludentes, ex elemosynis & piorum largitionibus victum quarunt: cujusmodi Jure communi antiquo approbati Ordines sunt Prædicatorum, Minorum, Remitarum S. Augustini & Carmelitarum, *c. Unico, §. Sanè, de Relig. demit. in 6.* quibus accessit Societas JESU, *Constit. p. 6. cap. 2. n. 2. 4. & 5.* cujus Religionem, non solum ex Privilegio Apostolico, sed etiam ex vi Instituti sui, verè & proprie Mendicantem esse, speciali *Constitutio*, quæ incipit *Dum indefessis, 7. Julij 1571.* à Pio V. est declaratum. Ex quo inquam, *Instituti*; quia speciali indubi vel tolerantia Sedis Apostolicæ reatorum Ordinum quidam bonorum immobilium possessionem admittunt: imò illa quibusdamque, etiam Mendicantibus Ordinibus (exceptis duntaxat S. Francisci FF. Minoribus & Cappucinis) S. Synodi Trident. decretò permittitur est *Seff. 23. sess. 4. de Regular. Militares*, ut Equites S. Joannis Baptistæ, Melitenfes & B.M. Teutonici Christianæ Fidei & Ecclesiæ Catholicæ adversus barbaros aliosque ejus hostes defensionem præstant. Hospitalitatem in exercitium hospitalitatis, hoc est, peregrinorum receptionem & infirmorum curam præcipue sunt intentæ, S. Thomas *cit. q. 188. art. 2. & 3.* Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 8. lib. 1. cap. 3.* & Pellicanus *cit. Tract. 1. cap. 3. à n. 10.* ubi alia Ordinum Instituta refert.

ARTICULUS II

De Voto Paupertatis,

SUMMARIUM.

18. *Votum hoc dominium vel liberum Usum bonorum fertur.*

19. *Nov.*

19. Non etiam honoris & fama bona,
 20. Vel beneficia Ecclesiastica excludit.
 21. Paupertatis priscus rigor,
 22. Cum tempore multum remissit.
 23. Eam votivum hodie tria sunt
 genera.
 24. Primum omne dominium & libe-
 rum Usum rerum temporalium,
 25. Ipsa Professione abdicatarum, ex-
 cludit.
 26. Alterum earum liberum duntaxat
 Usum auferit;
 27. Ut de ipsis illicitè,
 28. Non tamen invalidè semper dispo-
 nant.
 29. Tertium superflua duntaxat respuit.
 30. Religiosus incapax est peculii cum
 ejus libero usu:
 31. Non etiam cum usu dependente à
 superiore,
 32. De jure saltem antiquo & Consue-
 tudine.
 33. Et ad pecunia v.g. receptionem opus
 est licentia Superioris.
 34. Sufficiens tamen est licentia Tacita,
 35. Et Presumpta, cum expressa ne-
 quit haberi.
 36. Cum ista haberi potest, illicitus ejus
 abusus,
 37. Et usus etiam, cum quoad eum su-
 perior invitus;
 38. Secus licitus est, licet ei aliquò mo-
 do displiceat.
 39. Licentia solum Debita uno alteròve
 casu sufficiens:
 40. Regulariter insufficientis est ipsa,
 41. Et multò magis vi dolore obrepta.

18. **C**onsiliorum Evangelicorum pri-
 mum, & Religiosis omnibus
 commune votum est Paupertatis:
 quod emittentes perpetuò
 se abdicant omni rerum temporalium ex-
 ternarum, quæ *Bona Fortuna & Divi-*

ta vocari solent, scilicet prædiorum,
 domorum, fundorum, cæterorumque
 immobilium, pecuniarum, aliarumque
 rerum mobilium ad victum, amictum,
 habitationem & reliquam corporis com-
 moditatem servientium dominiò, pos-
 sessione, omnique jure Reali, vel saltem
 liberà, sive à superioris voluntate inde-
 pendente, ejusmodi rerum dispositione &
 usu.

Non, sicut Divitiis, per votum Pau-
 19. pertatis etiam renuntiat Honor &
 Fama; cum propriè solum debeantur
 virtuti: cui cum renuntiare nemo valeat;
 locus non est renuntiationi Honoris &
 Famae, qui virtutis notitiam comitan-
 tur. Accedit; quòd Honor & Fama
 non sint actus ipsius honorati, sed ho-
 norantis: actui autem, qui alteri, non
 sibi inest, renuntiare nemo possit, se-
 cundum S. Thomam 2. 2. q. 186. art.
 7. & Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 9.
 lib. 8. cap. 4. à n. 3. Quò tamen non
 obstante, humilitatis studiò voveri potest
 moderatio affectus ad honores, v.g. ex-
 cludendò ambitum & acceptationem di-
 gnitatum & titulorum honoratorum,
 sicut in Societate nostra faciunt Profes-
 si, ut cap. cit. n. 7. idem Doctor ad-
 vertit.

An Paupertatis votò excludatur be-
 neficium Ecclesiasticum, dubitandi ratio
 20. est; quòd in isto fructus sive redditus
 temporales percipiendi jus officio spiri-
 tuali annexum: jus autem ad redditus tem-
 porales votò illò obstrictis competere fe-
 rè non possit. Verum, quia res tempo-
 rales Monasterio acquirendi jus cum vo-
 to Paupertatis non pugnat, salvò istò,
 Religiosus obtinere poterit beneficium
 Ecclesiasticum cum annexo jure percipi-
 endi redditus temporales: dummodo hos
 non sibi, sed Ecclesiæ vel Monasterio
 acquirat, secundum Regulam can. Ab-
 bates 18.

bates 18. q. 2. c. Cum ad Monasterium
6. hęc Rubr. eti, quamdiu beneficium
retinet, fructuum illius habeat admini-
strationem eosque in suam sustentationem
& pios usus expendere valeat, *Clemēnt.*
2. V. Ceteri, de Via & honest. donec
superiori aliter fuerit visum, *Navar-*
rus Comment. 2. de Regular. n. 10. &
aliis DD. relatis *Laiman Lib. 4. tract. 5.*
cap. 8. n. 17.

21. Porro Paupertatis observantia pri-
scis illis seculis adeo stricta fuit; ut Mo-
nachi, perfectæ omnium rerum abdicati-
onis studiosissimi, non solum habere
vel retinere, sed etiam proprium aut
suum aliquid dicere vererentur; secun-
dum *can. Non dicatis, 12. q. 1.* & *S. Be-*
dicti Regul. 33. Qui vero Proprietatem
aliquam habere deprehenderetur, expel-
lebatur è Monasterio: & si cum ea de-
cederet, *VV. PP. decreto sepulturâ Ec-*
clesiasticâ censebatur indignus, c. Mona-
chi 2. §. Qui vero, & c. Super quadam 4.
& extra Ecclesiam tumularetur in sterqui-
linio, nummis. quos retinere præsum-
perat, in Proprietarium projectis, *c.*
Cum ad Monasterium cit. & cunctis so-
lenni imprecatione conclamantibus illud,
Pecunia tua tecum sit in perditionem,
Actor. cap. 8. v. 20. cujusmodi tristissi-
mi exitus funesta exempla dabunt *S. Hiero-*
nymus Epist. 22. ad Eustoch. *Cæsarius*
Homil. 10. in Dom. Sexagesima & *Chro-*
nicon. Carthus. Lib. 7. cap. 39.

22. Hic tamen Paupertatis rigor de Re-
ligiosi status substantia non est: neque
semper & in Religionibus approbatis om-
nibus est receptus, ut late ostendit *cit.*
Suarez Tom. 3. lib. 8. cap. 7. aliquæ enim
Paupertatem ita strictam profitentur; ut
rerum immobilium & reddituum stabilium
vel etiam mobilium proprietatem non
solum à personis particularibus, sed ab
ipsa quoque Religiosorum communitate

excludant: imò quædam, istâ ejusmodi
rerum abdicatione non contentæ, rerum
etiam ad usum necessarium pro futuro
aliquo tempore congregationem non tol-
lerant, sed res pro præsentis tempore &
propè die necessarias mendicandò qua-
runt, vel piorum liberalitate sponte ob-
latas admittunt. In aliis autem vob
promissa Paupertas ejusmodi res mobiles
& immobiles solis Religiosorum commu-
nitatibus, non etiam particularibus perso-
nis permittit.

Personarum etiam particularium in
Religionibus approbatis Paupertatem
stantium, tria potissimum genera in Ec-
lesia videntur.

Primum eorum, qui nec licet nec
validè proprium sive alicujus rei tempo-
ralis dominium, ejusque liberum & in-
superiore independentem usum habent:
quales sunt omnes Professores obstricti So-
lenni votò Paupertatis, ipsos dominium
capaces reddentis; ut non solum tanquam
proprium aliquid habere vel possidere eis
non liceat: sed etiam, si contra fidem
Deo datam cujuscumque rei proprietatem
attendant, ea attentatio nulla sit, omninoque
careat effectu ex dispositione Ecclesie, ab
ipsis editum Paupertatis votum sic acco-
ptantis; ut eos ad alicujus rei proprietatem
sibi acquirendam omnino inhabiles
reddiderit: & ipsâ Professione, tanquam
Civili quadam morte, *can. Placuit, 14.*
q. 1. si quod ante habuerunt, voluerit
expirare & transire, vel ad hæredes vel ad
ipsam Religionem: & quod ipsis in
posterum obveniret, non ipsis sed Mo-
nasterio acquiri, *Auth. Ingressi, Auth.*
Si qua mulier C. de SS. Eccles. can. Non
dicatis cit. can. Quia ingredientibus, 16.

q. 3. c. Cum ad Monasterium cit. & c.
Neque obstat quòd liberos habeant
& sine prævia dispositione de substantia
sua Religionem professus arbitrio suo eam
inter il-

inter illos, portione legitimâ Monasterio reservatâ, dividere queat, *cit. Aub. & can. Si qua mulier cit. q. 3.* non obsecuro argumentò domini adhuc retenti; quia ista substantiæ divisio professo non quasi domino, sed solummodo quasi ad ministratori à Jure ad hunc effectum constituto permittitur, & non Testamentum est, sed mera bonorû distributio est, Actionem, contra quàm Testamentum solet, non producens, *l. Divisionis 45. ff. de Patis, Glosa in Aub. cit. V. Dividere, Navarvus cit. Comment. 2. n. 45. Sanchez Lib. 7. Moral. cap. 9. n. 10. & Barbosa in can. cit. n. 15.*

26. Alterum genus est eorum, qui bonorum suorum dominium quidem retinent, interditi tamen sunt liberò eorum usu: sicut in Societate JESU Scholasticis iustas ob causas & præcipue; ut facilius & minori cum offensa, ubi opus fuerit, dimitti possint, bonorum suorum jus & dominium pro superiorum arbitratu ad tempus retinent; ut in pios usus juxta Evangelicum Consilium distribuant: in eorum tamen usu Religiosam Paupertatem servant, nec ullâ re tanquam propria & sine superioris facultate uti possunt, verba sunt *Constitutionis Gregorii XIII.* quæ incipit *Quantò fructuosius, edita Calend. Febr. 1582.* Ubi

27. Dubium est de valore dispositionis Societatis Scholastico factæ sine consensu superiorum. Quam, si res, de quibus ita disponit, alicujus momenti sint, graviter peccaminosam esse, nemo facile inficias ibit; cum eâ violetur Paupertas: cujus votò, licet non rerum dominium, earum tamen liber usus & à superioris voluntate independens dispositio est adempta.

Eam etiam valore destitui in suis *Tractatibus de I. & I.* voluit Molina *Tract. de disp. 139. n. 11. Lessius Lib. 2,*

cap. 4. n. 28. & Haunoldus Tom. 1. Tract. 4. n. 38. Moventur imprimis *l. Non dubium 5. C. de LL.* pro irritò habente actum, gestum contra legem eum prohibentem. Dein paritate cum rerum Ecclesiasticarum alienatione, à Prælo sine Capituli, & à pupillo sine autoritate Tutoris celebrata, quæ ipsò Jure irrita est, *c. 1. c. Tua nuper 8. Et. de lit. qua à Prælat. & §. Tutor 2. Institur. de Aub. Tut.* Demum; quòd ejusmodi dispositionis nullitas magis conducatur ad finem domini ad tempus Scholasticis relicti: qui est facilius eorum dimissio ex Societate: & si dominium propter ejusmodi dispositionis nullitatem integrum sit, expeditior est, quàm si per eam tanquam validam sit diminutum.

Sed argumenta hæc, ejusmodi liberam & illicitam Scholastici dispositionem irritam esse, non evincunt. Duo priora; quia *l. cit.* eique similes textus alii de lege seu Jure prohibente non simpliciter, sed actui formam præscribente vel clausulâ aliquâ irritante munito exaudiendi sunt, juxta dicta *Tit. 13. à n. 63.* facultatem autem superioris ad formam dispositionis à Scholastico faciendæ pertinere, aut hanc sine ea irritâ esse, expressum non est ullò Jure: quò tamen clarè prodita est nullitas alienationis à Prælo, & contractûs à pupillo sine Capituli consensu vel tutoris autoritate celebrati. Postremum partim; quia, licet post ejusmodi dispositionem, si valeat, dimissio ex una parte difficilior sit, ex alia tamen magis expedita inde est; quòd Societatis superiores eâ disponendi libertate contempti minus obnoxii sint querelis & obrektionibus, quibus dimissiones aliquando ansam præbent: partim verò, quòd Prælati sive Societatis superior in Scholasticum habeat potestatem Dominativam, vi cujus subditi, sicut vota & alios actus

T t t

lios actus

hos actus suæ gubernationi præjudican-
tes, sic etiam ejusmodi dispositionem ir-
ritare potest & revocare, ut rectè adver-
tit Palao *Tract. 16. disp. 3. p. 2. n. 7.* ubi
ejusmodi liberam dispositionem præ va-
lida habet, cum Suarez *Tom. 4. de Re-
lig. Tract. 9. lib. 10. cap. 6. à n. 12.* &
Sanchez *cit. Lib. 7. cap. 18. n. 8.*

29. Tertium genus est eorum, qui vo-
tò Paupertatis neque omni dominio ne-
que liberò omnium rerum temporalium
usu se abdicant: sed solummodo exclu-
dunt superflua sive non necessaria ad te-
nuem vel moderatum victum & vestitum
juxta illud, *Habentes alimenta & quibus
tegamur, his contenti sumus.* 1. *Timoth.*
cap. 6. v. 8. quales satis probabiliter olim
fuisse aliqui existimârunt feminas, in pri-
vatis domibus Statum Religiosum assu-
mentes; & S. Paulum aliòsque permul-
tos, solitariam vitam ab omnium ho-
minum consortio procul agentes in ere-
mis; hos enim, cum communitatem
non haberent, & proximo superiori spe-
cialiter non subjicerentur, omni rerum
dominiò & liberò etiam usu non caruif-
se, nec carere potuisse, verisimiliter a-
liqui censuerunt apud *cit. Suárez Tom. 3.
lib. 8. cap. 7. n. 10.* de ipsis, si veri Re-
ligiosi fuerunt, saltem quoad liberum
usum contrarium sentientem *n. 19.* Ex
hactenus dictis

30. Dubium oritur primò, an Religio-
sus capax sit Peculii. Cujus Resolutio
plana erit, si cum Navarro *Comment. 2.
de Regul. n. 14.* duplex peculium statua-
mus. Unum juris perfecti cum facultate
de eo liberè & independenter ab alio
disponendi: alterum juris imperfecti,
tribuentis administrationem, possessionem
vel detentionem, & usum dependen-
dentem ab alio; ut ad ejus arbitrium re-
stringi, revocari & omnino auferri possit.
Quorum, sicut prius cum Religiosæ Pau-

pertatis voto non consistere, perspicuum
& decisum est *c. Monachi 2. & c. Cum ad
Monasterium 6.* ubi Innocentius III. de
Abbate rescribit, quòd super habenda
proprietate nec possit cum aliquo Mon-
acho dispensare: sic posterioris peculii
Religiosum incapacem non esse, cum Pa-
normit. *in ec. cit. n. 4. & n. 8.* Nave-
ri *cit. n. 14.* Azor *p. 1. Instit. Lib. 12.
cap. 3. g. 1.* & aliorum communis est opi-
nus; quòd id (speciali alicujus Religio-
nis rigore seclusò) Paupertatis voto non
adversetur; cum ejusmodi peculium so-
ve pusilla pecunia concedi frequenter so-
leat Religiosis, non solum extra Mon-
asteria cum Superiorum licentia obtina-
tibus beneficia Ecclesiastica, in studiu-
rum Universitate degenantibus, quòdam-
bus peregrinationem &c. sed in ipsa
etiam Monasterii degenantibus aliquando
licentia detur, pecunias, vestes, libros
& alias res ad humanos usus comparatas
accipiendi, retinendi & in victum, ro-
stitum, honestas recreationes aliòsque
certos aut incertos usus expendendi, ut
pluribus explicat *cit. Azor 4. g. 3. & Lib-
man Lib. 4. Tract. 5. cap. 7. à n. 13.*

At, licet hæc plana & omnino res-
pedita sint spectatò usu moderatò & justo
etiam antiquò *c. Monachi cit. & c. Episcopi
clerici & vovent.* ubi mulier S. Augusti-
ni Religionem professa in domo propria
permanere permilla est cum omni libertate
ad congruam sustentationem ipsius
administrationi permilla: nonnullè ta-
men S. Synodi Tridentinæ PP. decreve-
re; ne Regulares tam viri quam mulie-
res aliqua bona tam mobilia quam im-
mobilia etiam Conventus nomine ha-
beant aut habere à superioribus permis-
tantur, *Sess. 25. cap. 2. de Regular.* Quòd
decretum Navarrus *cit. Comment. 2. n.
15.* eumque secuti *cit. Sanchez cap. 21.
n. 11.* & Miranda *Tom. 1. Manual. Pra-
lat. 4.*

lat. q. 23. arr. 8. & alii cum antiquo Jure conciliare nituntur: eoque peculia duntaxat absque justa causa, & ad usus quoslibet etiam superfluos Religiosis concedendi facultatem superioribus ademptam volunt. Verius tamen eò Novum Jus constitutum & his, quod antiquò Jure salvò poterant, à Tridentino prohibita ex *cit. cap. 2.* verbis, *Nec deinceps liceat Superioribus &c.* & reliquo ejus tenore colligunt Suarez *cit. Lib. 8. cap. 14. n. 8.* Valquez *de Redditiis cap. 3. dub. 2. n. 4.* & Palao *cit. disp. 3. p. 7. n. 5.* qui tamen, eum Conciliaris decreti rigorem contrarià & antiquo Juri magis conformi, passimque receptà consuetudine temperatum, docent.

33. Dubium secundò est de licentià superioris, Religioso privato necessaria ad aliqujus rei temporalis acceptionem, retentionem, usum: an scilicet esse debeat verbò, scriptò, nutu Expressa, vel sufficiat Tacita aut Præsumpta: quas posteriores licentias aliqui, sed perperam, confundunt; cum Tacita, si propriè loquamur, in aliqua expressa tanquam pars in toto, vel aliquid cum expressè concesso connexum eive accessorium contineatur: Præsumpta autem sive Interpretativa nec in se, neque in alio expressè concesso, data sit, sed solummodo danda iudicetur, si actu peteretur. Quò præsmissò

Convenit inter DD. primò, Religiosum ejusmodi rem aliquam sine ulla superioris licentià accipientem, retinentem, eive utentem graviter peccare, si rei accepta pretium notabile sit: quod aperte traditur *can. Non dicatis, 12. q. 1. verbis, Si quis in tantum malum processerit, ut occultè quodlibet munus accipiat: e. Cum ad Monasterium cit. ibi, Non præsument illud accipere, subaudi, Si ne licentià Abbatis, & ex gravissimis po-*

nis expulsionis à Monasterio, sepultura in sterquilino, *e. cit.* privationis vocis Activæ & Passivæ, à Trident. *Sess. 25. cap. 2. de Regular.* in Religiosos Proprietarios, hoc est, aliquid saltem in notabili quantitate accipientes & retinentes, decretis. Ratio est; quia ejusmodi acceptione violatur votum, cujus violatio in materia notabili graviter est peccaminosa, per textum & DD. in *c. Licet 6. de Voto.*

Convenit inter eos secundò, ad ejus acceptionem &c. sufficere licentiã Tacitam; quia taciti & expressi idem iudicium eademque vis est, *arg. l. Cum quid mutuum 3. ff. de Reb. credit.* hoc ipsò; quòd virtute in expresso contentum eive annexum vel accessorium sit; sic enim à superiore habens licentiã peregrinandi, in via licitè aliquid accipit & expendit, si ab illo prohibitus non sit: sic qui re aliqua temporali utitur superiore consciò & cum facile posset, non prohibente, aut vi consuetudinis ab aliis subditis, eodem sciente & non impediante, recepta, de ejusmodi re aliqua disponit. Paupertatis, votum non violat, propter tacitam licentiã superioris, silentiò suò in ejusmodi usum & dispositionem consentientis, *can. Consentire 5. disp. 83.* Rectè tamen hic cum Navarro *cit. Comment. 2. n. 22.* & aliis DD. excipitur casus, quò superior liberæ ejusmodi acceptionis, usus vel dispositionis non ignarus solummodo taceret & non contradiceret ex verecundia, vel metu querelarum & similia incommoctorum; quia ita tacens non tam consentire, quàm ejusmodi liberam acceptionem &c. tanquam minus malum tolerare intelligeretur.

Convenit tertio, etiam licentiã rationabiliter præsumptam sufficere saltem, quando propter absentiam vel occupationes superioris, vel periculum, moræ; quòd aliquid accipiendi vel ra-

T t t t a tiona

tionabiliter expendendi occasio urgeat, expressa haberi non potest, Suarez *l. cit. n. 3.* & Palao *Tract. 16. disp. 3. p. 23. n. 6.* Ratio est; quia aliquid faciens, quod rationabiliter credit superiorem, si conveniretur, id omnino probaturum, id eò invito & sine licentia facere non censetur, *arg. l. Inter omnes 46. §. 7. ff. de Furtis*, quâ furti reus non habetur, qui accipit, cum domini consensu rationabiliter præsumpto; *Quid enim*, inquit *ICT. 9.*, *dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse, sive id falsò sive verè putet?* Hòc tamen casu, si licentiæ præsumendæ causa tota fuit impossibilitas vel magna difficultas adeundi superiorem resque accepta consumpta non est, ut ea salvò Paupertatis votò etiam postea retineatur, necessarium est; ut ejus acceptio manifestetur superiori; quia tali casu licentia solum præsumpta est pro tempore; quo ille non potuit adiri, & pro ea duntaxat accipienda, non etiam retinenda, ut rectè observat *cit. Sanchez n. 8.*

36. Dissentiunt autem, an Præsumpta licentia etiam sufficiat casu, quò superior, cum posset, ob respectum aliquem humanum, pudorem vel aliam similem difficultatem non adit; eam enim non sufficere, suadet ratio, partim; quia licentia, quæ solum præsumitur, de facto non extat, sed solummodo creditur futura; licentia autem sive consensus solummodo futurus, & multò magis, qui futurus solum creditur, facultatem dare nequit de præsentì, ut patet in licentia confitendi alieno Sacerdoti: quæ, si concedenda solum credatur & præsumpta tantum sit, jurisdictionem non tribuit, nec sufficit ad validam absolutionem subditi non sui: partim; quia superiores esse inviti, imò punire solent & debent liberè utentes licentiâ solum præsumptâ; ne nimia laxitas in Religiosas

familias invehatur; cum rari sint casus, quibus licentia, si peteretur, non concederetur à superiore saltem mediocris, Provinciali, Generali, Legato Sedi Apostolicæ vel Papa ipsomet: ad quos tamen non, nisi in causis gravioribus & immediati superioris potestatem excedentibus, recurri consuevit; ac proinde si præsumpta istorum licentia sufficeret, quamlibet rem etiam notabilem infirmitatibus superioribus pro libitu accipere, retinere & liberè expendere liceret, non levì, disciplinæ jacturâ & maximo incommodò præjudiciòque Religiosæ Paupertatis.

Rationes istæ imprimis evincunt, ejusmodi licentiæ, non tantum mediocris, sed immediati etiam superioris solum Præsumptæ liberè uti, tanquam valde periculosum perniciosumque, in Religionibus Paupertatis aliquam obsevantiam profitentibus nequaquam ferendum. Deinde id etiam mihi persuadet, licentiæ Præsumptæ usum, cum expressa haberi potest, Religioso subdito illicitum, nisi rationabiliter credat, superiorem invitum non esse, non solum quoad ipsam rem, quæ accipitur, retineatur &c. sed etiam quoad omissionem petitionis licentiæ; si enim superior, licet rem accipiendi eave utendi licentiam, si peteretur, sine difficultate daturus, eam tamen non nisi actu petatur, concedere velle, rationabiliter existimaretur, licentia præsumpta ad licitam acceptationem non sufficeret; cum, qui ita consensus præsumitur, pro casu, quò licentia non petitur, accipiendi facultatem non concedat, imò sit invitus, ut non obsecrè intinuant *cit. Sanchez cap. 19. n. 15.* & Suarez *cap. 8. n. 11.*

Nihilominus casu, quò superior rem aliquam temporalem accipiendi licentiam, si peteretur, daturus & quoad ejus in præsumpta licentia fundatam acceptio-

acceptiōem, retentionem, usum, licet ipsi
modus aliquo modo displiceat, invitus ta-
men absolute non esse, rationabiliter præ-
sumitur, illam accipi, retineri, expendi
sine vitio Proprietatis & voti Paupertatis
violacione posse, cum Navarro *cit.*
Comment. 2. n. 20. sustinent *cit.* Sanchez
n. 4. Suarez *n. 7.* & Palao *p. 23. n. 8. arg.*
l. Inter omnes §. 7. cit. Ratio est; quia
votum Paupertatis non violatur acceptio-
ne, quæ non fit nomine proprio, sed cum
dependencia & subordinatione ad volun-
tatem superioris: cum quali dependen-
tia jam agit, qui certò sibi persuadet, supe-
riorem, si rogaretur, facile consenturum:
& quoad ipsam rem ipsamque ejus ac-
ceptiōem, licet istius modus aliquo modo
displiceat, absolute non esse invitum.
Confirmatur autoritate D. Thomæ 2. 2.
q. 32. *art. 8. ad 1.* docentis, licentiam præ-
sumptam Religioso sufficere ad elemo-
synam dandam in rebus Monasterii, cur
non ad aliquid accipiendum & Monaste-
rio acquirendum?

39. Contra hanc licentiam deducta spe-
ciem majorem, quam vim habent, cum;
quia ea licentiæ præsumptio fundatur in
aliquo præsentis & facti superioris; quòd
scilicet aliquid accipiendi facultatem da-
re & similes etiam acceptiōes ratas ha-
bere solitus sit: tum verò; quia alia ratio
est absolutiōis Sacramentalis, quam hu-
jusmodi acceptiōis; cum illius valor
exigat jurisdictionem & potestatem a-
ctualē, quæ ex eo, quòd petita daretur,
non habetur: acceptiō autem, ut Pau-
perci voto non adverteretur, solum exi-
git; ut subditus non proprio, sed alieno
nomine & superiore non invitò, agere
censeatur, *arg. l. §. 7. cit.*

Dubium tertio est; an sufficiat licen-
tia Debita sive, quod idem est, an, cum su-
perior aliquid accipiendi licentiam peten-
dam, licet concedere deberet, ex passio-

ne vel rigore præter aliorum ejusdem
Ordinis Prælatorum morem indiscreto,
negaturus judicatur, vel etiam petitam
actu negat, subditus ex licentia ab eo, si
rationabiliter ageret, præsumpta id ac-
cipere, retinere, expendere salvà Pauper-
tate possit. Eam sufficere vult Alphon-
sus Mendoza in *Quodlibet. q. 8. in fine.*
Movetur; quòd superior facultatem ir-
rationabiliter negans suò officio non fun-
gatur, ejusque indiscreta voluntas nulla
sit: & subditus, sicut ad Obedientiam tan-
tùm rationabilem, sic etiam, ad observan-
tiam Paupertatis rationi consentaneam
se obligasse, censeatur.

Rationi huic, licet magni momenti
non sit, aliquid tamen tribuere juvat au-
xiliò distinctionis; quantumvis enim
Paupertatis votum subditus non violet
casu, quò indiscretæ negationis præsum-
ptione vel actuali negatione insuper ha-
bita clam accipit vel dat aliquid, ut ex-
tremè indigentis necessitas sublevetur,
vel ad quod vi Professionis jus habet, vg.
congrua alimenta: id tamen violaret aliis
& ordinariis casibus, cum; quia contra
voluntatem etiam irrationabilem supe-
rioris aliquid accipiendò ageret nomine
proprio & sine subordinatione ac depen-
dencia à voluntate superioris: quòd modò
Paupertas violatur, sicut violaretur Obe-
dientia, cum superiori irrationabiliter im-
peranti, quod sine peccato facere potest,
vel prohibenti, ad quod faciendum jus
non habet, non obtemperaret: tum;
quòd, si licentia solum debita sufficeret,
cum Paupertate disciplinæ Regularis ob-
servantia facilè adduceretur in discrimen;
cum subditi ad laxitatem proni, quæ se-
cundùm Regulæ accuratiōem à superio-
re laudabili zelo non indulgentur, indi-
cretè & irrationabiliter negata, sibi facilè
persuadeant & querantur. Confirmatur
paritate pauperum, qui in necessitate
T t t ; gravi,

gravi, non tamen extrema, constituti, divitiis invitatis, aliquid auferre sine peccato nequeunt de rebus, quas isti, cum ex Christiana Charitate tenerentur, largiri per sorditiam ab omni ratione & humanitate alienam recusant.

41. Sicut solummodo Debita, sic etiam ad pecuniarumque rerum acceptio- nem, retentionem, usum, Religioso non sufficit licentia, vi, fraude aut minis extorta; quia talis, si falsis causis allegatis aut veris dolose suppressis, ac proinde obvel subreptitè impetrata est, omnino involuntaria: si autem minis & gravium molestiarum inferendarum metu extorta sit, involuntaria quidem non est, is tamen, qui superioris consensum ita extorsit, omnia in pristinum statum reducere, & licentiã illã, quasi metus causã rescissã, non uti tenetur; ne ipse ex injuria superiori illata referat commodum &, qui eam passus est, imò Religio ipsa detrimentum patiatur. Unde in Conscientia tuti nequaquam sunt, qui causas non causas allegandò superiorem fraudulenter circumveniunt; ut ab eo obtineant, quod petunt: vel id Monasterii gravibus querelis & murmurationibus implendi, vel subditos à superiore avertendi metu extorquent, *citt. Sanchez n. 18. & Suarez n. 14.*

ARTICULUS III.

De Voto Castitatis,

SUMMARIUM.

42. *Votò hóc excluditur omnis actus Venereus:*
 43. *Qui in Religioso graviter est peccaminosus.*
 44. *Venialis tamen esse potest ob imperfectionem actus:*

45. *Non ob solam materiam parvitatem.*
 46. *Ad Religiosum non sufficit Castitas conjugalis.*
 47. *Unde conjugati Religiosi valet quoad Statum:*
 48. *Non etiam quoad Perfectum vñ sunt.*
 49. *In Solemni Continentia voto dispensationem Papa negantium:*
 50. *Et adstrictum vñ Opus.*
 51. *Ratione & exemplis stabilitur.*
 52. *Eadem ratio est votorum Solemniatiorum.*
 53. *Cum Religioso ad conjugium Dispensatio ex justa causa licet:*
 54. *Sine ea saltem valitè dispensat.*
 55. *Adlicitam dispensationem non sufficit merè privata,*
 56. *Sed exigitur publica causa.*

Consiliorum Evangelicorum & Religiosis votorum alterum est Castitas sive Continentia ab omni voluptate carnali adque Venereo, tam interno quàm externo, tam aliàs licito seu conjugali actus, ut omni ejusmodi actu, quò homo secularis non conjugatus Castitatem violat, Religiosus insuper Sacrilegium committit, in tamen; ut malitia Sacrilegii gravis & mortalis in iis duntaxat sit, in quibus malitia libidinis in homine Seculari extra conjugium est mortalis: & in quibus ista in Seculari etiam in Religioso tantum sit venialis, Sanchez *Lib. 5. moral. cap. 1. n. 9.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 41. n. 78.* Ratio est; quia votum hoc non immutat obligationem Juris Naturalis omnibus communem, efficiendò; ut actus Venereus, qui seclusò votò in homine Seculari non conjugato solum venialis est, in Religioso aliòve Continentia voto obstricto evadat mortalis: sed solummodo addit novam circumstantiam Sacrilegii mortalis.

43. mortalem, si actus illius mortalis: & si iste venialis est, venialem; ut priori casu mortalis, posteriori venialis culpa duplex admittatur, quarum altera Castitati, altera Religioni adversetur, ut cum DD. cit. advertit Donatus *Tom. 4. Tract. Regul. tract. 16. q. 5. n. 2.* Unde

44. Dubium oritur primò, an ergo contra Castitatem dentur culpæ solum veniales. Dari ex defectu plenæ advertentiæ & deliberationis, omnes facillè agnoscunt. Ex parvitate materiæ venialem dari aliqui absolute negant. Alii & melius utuntur distinctione; est enim negari non possit, dari actus aliquos Castitati contrarios v.g. oscula, tactus, aspectus, cum ex mera levitate vel joco tantum fiunt; solummodo venialiter peccaminos: nihilominus in hominibus solutis non solum fornicatio, pollutio & similes actus luxuriæ consummati, sed etiam oscula, amplexus, tactus, aspectus & similes actus, imò quæcunque morosa delectatio Venerea & complacentia voluntariè quæsita vel accepta ex coitu vel pollutione vel commotione spirituum genitalium motionèque feminis, etiam seclusò periculò pollutionis vel consensûs, mortaliter peccaminosa est, ut optime docent Rebellus *de Oblig. Just. Lib. 3. q. 19. f. 3.* Sanchez *cit. cap. 6. n. 12.* Pontius *Lib. 10. de Matrim. cap. 16. §. 2. n. 8.* Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. 8. n. 2.* Palao *Tract. 2. disp. 2. p. 10. §. 2. n. 4.* & alii: quorum doctrinæ oppositam Claudius Acquavia S. J. Præpositus Generalis V. 14. Aprilis 1612. sub præcepto Obedientiæ, gravi censurâ aliisque poenis prohibuit.

Ratio prohibitionis est; quia ex una, generaliter graviter prohibitum & mortaliter peccaminosum est omne illud, ex quo, si graviter prohibitum non esset, maximum peccandi illicitum & humani generis præjudicium sequeretur: quod

cum Amico *disp. 23. f. 7. n. 283.* Regulæ instar tradit Haunoldus *Theolog. Speculat. Lib. 4. tract. 2. n. 412.* ex altera vero parte, propter maximam proclivitatem, quam appetitus sensitivus ad delectationes Venereas habet & difficultatem certæ moderationis ac metæ in iis observandæ, summum periculum esset ingentis corruptionis, & ex ista imminenti maximi præjudicii generis humani, si non omnis etiam minima voluptas Venereæ deliberatè quæsita vel admissa graviter prohibita & peccaminosa foret; cum à minima in majorem & manifestè mortalem prolapsum pronissimus sit.

46. Dubium secundò & inter DD. in utramque partem magnò numero militantes, celebris controversia est, an ad statum Religiosum sufficiat Castitas Conjugalis. Dubitandi rationem & occasionem de Negativa præbent nonnulli, Ordines Militares, eam tantum observantes: qui variis Constitutionibus Apostolicis Religiosi, eorumque personæ Ecclesiasticæ & Religiosæ nuncupantur. Unde etiam in *Bulla de Largitione munerum à Clemente VIII. 13. Calend. 1594. publicata* Ordines Militares ab illius, utriusque sexus Religiosis interdixit, prohibitionem excipiuntur: quæ exceptio vana esset, si hujusmodi Ordines non essent Religiosi. De Affirmativa c. *Cum ad Monasterium 6.* in cuius sine custodia Castitatis omnino indispensabiliter annexa dicitur Regulæ Monachali.

Quæ, licet in speciem contraria fiat, meò tamen iudiciò in concordiam satis commodè reducuntur, si cum Soto *Lib. 7. de Justitia q. 5. art. 3.* Equitum conjugatorum Ordines à Religionibus Evangelicis & Apostolicis excludamus; quòd Consiliorum Evangelicorum integram & perfectam observantiam non voveant & observent: secundum quid tamen Religiosos

giosos esse, statuamus; quòd Religionum approbatarum Regulam profiteantur & substantialia Religionis vota ex parte observent. A Soto quoad sensum non divertit, licet paulò aliter loquatur, Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 9. lib. 1. cap. 4. n. 26.* ubi ejusmodi Equites Religiosos esse ait quoad Statum, non quoad Usum.

47. *Quoad Statum*; quòd cæterorum Religiosorum instar sint personæ Ecclesiasticæ, gaudeantque privilegio Fori & Canonis, aliisque favoribus & gratiis Religiosorum: & propterea istorum nomine à summis Pontificibus honorentur. Non etiam quoad Usum & praxim; quòd revera non vivant Religiosè, & deficiant in Consiliorum Evangelicorum perfecta & integra observatone. Quæ utriusque DD. allegati sententia conformis D. Thomæ 2. 2. q. 186. art. 4. & approbata est à Diana p. 8. Tract. 1. resol. 78. §. *Legimus quogue*, & Donato cit. Tract. 10. q. 11. n. 18. & 23.

49. Dubium & non minùs celebris controversia tertio est; an Papa in voto Castitatis Solenni sive cum Religioso professio ad matrimonium dispensare possit. Id enim cum S. Thoma cit. q. 188. art. 11. & D. Bonaventura in 4. dist. 38. art. 2. q. 1. contrarium sustineri posse, subjiciente q. 3. negant Sylvester V. *Votum 4. q. 5.* Sotus cit. *Lib. 7. q. 4. art. 2.* & alii, præcipuè permoti c. *Cum ad Monasterium* cit. in cuius fine Innocentius III. disertè, *Custodia Castitatis*, inquit, *ad eam annexa est Regula Monachali; ut contra eam nec etiam summus Pontifex licentiam (ad matrimonium contrahendum) indulgere possit.* quibus verbis quid in rem præsentem luculentius dici queat? Rationem geminam reddunt. Una est; quòd, cum res semel Deo dicata ad prophanos usus revocari, *Reg. Semel. 51. in 6.* episcopusque status mutari nequeat, sicut ex Sacerdotem

te non Sacerdotem, non Episcopum re Episcopo, & ex baptizato non baptizatum, sic ex Religioso Deo consecrato & Solenni votò ad Continentiam obligato secularem & conjugem facere, humanam omnem, ac proinde etiam Papalem erodat potestatem. Altera; quòd Papa dispensare nequeat in matrimonio carnis consummato, juxta illud Salvatoris, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, *Matth. cap. 19. v. 6.* Ergo neque in spirituali, quod professus iniisse cum Religioso, & per actum professus proprium exercitium consummâsse intelligitur; quæ vincula spiritualia fortiora sunt carnalibus, c. *Inter corporalia 2. de Translat. Episc.*

Nihilominus TT. & Canonistæ à Sanchez *Lib. 8. de Matr. disp. 1. n. 7.* maximò numero consistorum, non parcorum etiam ex D. Thomæ Scholæ DD. multò frequentiori calculò receptæ sententia eam dispensandi potestatem adstruit Papæ. Ratio solida & perspicua est; quòd Papa, ex ipsius etiam Doctorum Angelici sententia, dispensare valet in voto Continentiæ simplicis, & quæ continentiam castè vivendi obligationem Dei nomine remittere, *arg. c. Nominatum 3. Qui clerici & vovent.* Ergo etiam in voto Solenni; quia voti Solennitas provenit ex Constitutione Ecclesiæ, votum sic acceptantis; ut id emittentem ad matrimonium inhabilem reddiderit, c. *Unus, de Voto in 6.* cujusmodi Constitutionem, sicut condere, sic etiam relaxare, & actus eam prohibitos & irritatos reddere valet potest, *arg. c. Non debet 8. pr. de Consens. & Affinit. c. Alma 24. pr. de Sent. et com. in 6.* quia ligandi & solvendi potestas est conjuncta, *Matth. cap. 16. v. 19.*

Confirmatur primò; quia, ut alii monui, sedis Apostolicæ adstruenda est omnis potestas, ad rectam Ecclesiæ gubernationem necessaria & expediens; *disp.*

modo ei concedi sine absurdo possit, hoc ipso; quod à Christo, Ecclesiae gubernationem ei commitente, ad hanc necessariis & conducentibus mediis eum destitutum, credibile non sit: ea autem in votis Solennibus dispensandi potestas Papae adferui, sine absurdo possit, & ad fidelium rectam gubernationem plurimum conferat; cum ea magna bona promoveri & mala impediiri possint.

Confirmatur secundo exemplis, ejusmodi dispensationum à Romanis Pontificibus indulgarum; sic enim à Benedicto IX. cum Casimiro II. Poloniae Rege, antè Cluniacensium Ordinem professo & Diacono: cum Constantia Rogerii Siciliae Regis filia & Henrici Imp. uxore, antè Moniali à Caelestino III. cum Ramiro II. Aragonum Rege antè Monacho, imò Abbate & Episcopo ab Innocentio III. ab Alexandro III. cum Nicolao Justiniano, etiam Monacho: à Gregorio XIII. cum Cardinalis Joiofæ Galli fratres, Professo, Sacerdote & Provinciali PP. Cappucinorum ad conjugia ineunda dispensatum, fide digni scriptores perhibent apud Donatum *cit. Trañ. 1. q. 13. à n. 18.* & Fagnanum *in c. Cum ad Monasterium cit. n. 66.* Unde

Infertur à summo Pontifice etiam in Paupertatis & Obedientiae Solennibus votis dispensari posse; ut Religioso ab iis absoluto habere proprium, & arbitratu suo atque independentè ab alio vivere, licitum sit. Cui illationi ne *c. cit.* textus adverteatur, istò Papae nomine Episcopum intelligi, ait Mendoza *de Concil. Illiberit. cap. 30.* sicut juxta dicta *Tit. 13. n. 17.* eò nomine venit *can. Non liceat Papae, 12. q. 2.* Sed hic *c. cit.* intellectus merito displicet Barbosa *in c. cit. n. 13.* cum; quia nomine Papae, sicut Symmachi *can. cit.* sic etiam Innocentii III. *c. cit.* rescribentis tempore Episcopos denotari consuevisse, non constat: tum verò; quòd absque hoc

intellectu *c. cit.* textus ei, de qua agimus; dispensationi non adverteatur; cum eò Papae non negetur potestas in votis illis Solennibus dispensandi; ut iis obstrictus ex Monacho seu Religioso Secularis factus habeat proprium & uxorem ducat: sed solummodo; ut verus & Evangelicus Religiosus maneat, & tamen simul proprium & uxorem habeat; quòd tria illa vota sint de essentia Status Religiosi, pro ut à Christo Domino in Evangelio propositus est. Ita cum Panormit. *in c. cit. n. 21.* Turcremata *in can. Sicut, 27. q. 1. art. 3. n. 7.* Gutierrez *Lib. 1. Q. Q. Canon. cap. 17. n. 5.* & Sanchez *Lib. 8. de Matr. disp. 8. n. 12.* allegatum sensum exponunt Barbosa *n. 13.* & Fagnanus *n. 67.*

Non major quàm textui vis inest rationibus. Priori; quia etiam res Deo dicatas ad prophanos usus revocari auctoritate praesertim Apostolica posse, patet exemplò Ecclesiae & calicis consecrati, quorum illam & istum execrari, & ad prophanos usus reduci ab eo posse, nemo facile inficiatur. Cur non etiam ex Monacho, dissolutis ejus votis, fieri non Monachus? cum in Monachum tonsura per tonsuram & professionem character indelebilis, sicut Sacerdoti & Christiano per Ordinationem Sacram & Baptismum, non imprimatur. Posteriori; quia, praeterquam quòd professione non verum, sed similitudinariam duntaxat matrimonium spirituale contrahatur, à matrimonio carnali consummato ad ipsam non rectè ducitur argumentum; quia hoc omnino insolubile est, propter perfectam significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, *c. Debitum 5. de Bigamia*; professio autem talem significationem non habet, neque etiam imprimi characterem, neque continet aliud quidpiam, in quo ejus omnimoda insolubilitas fundetur, Sanchez *cit. disp. 8. n. 12.*

U u u

Ut au-

53. Ut autem cum Professo ad conjugium Papa legitime dispense, necessaria secundum omnes est iusta causa: quæ deficiente, licet ab ipso initum matrimonium subsistat, ejus tamen defectus conscientis conjugale debitum, quod reddere tenetur, licite non exigit perinde, ut qui cum voto continentiae simplici sine dispensatione, vel cum ista sine ulla iusta causa, aut allegata causa falsa, impetrata matrimonium contraxit. Ratio prioris sive valoris matrimonii est; quia votum Solenne, matrimonium contrahendum dirimendi vim habet ex Ecclesiae Constitutione: quæ cum à Papæ, tanquam supremi Ecclesiae legislatoris Ecclesiastici, voluntate tota pendeat, in ea etiam sine ulla causa valide dispensat, ex doctrina Covarruviae p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 9. n. 8. Sanchez cit. disp. 8. n. 10. & Suarez Lib. 6. de LL. cap. 19. n. 6. Posterioris autem sive, quod tali casu debitum exigi ab ejusmodi professo vi dispensationis nequeat, ratio est; quia votum Continentiae, licet solennitatem & in ista fundatam matrimonii dirimendi vim habeat ex Constitutione Ecclesiae, istud tamen contrahendum impedit Jure Naturali & Divino: in quo, non exigente aut suadente iusta causa, etiam Papa invalide dispensat; ac proinde votum illud obstrictus, licet matrimonium vi dispensationis Papalis absque iusta causa obtenta valide contraxerit, debitum tamen conjugale exigere non potest perinde, ac si cum ipso dispensatum non fuisset, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 88. art. 12. Glossa in c. Non est 5. V. Adimplere, de Voto & alii docet idem Sanchez l. cit. disp. 17. n. 3. Unde
54. Dubium quartum est, an ad hujus dispensationis honestatem sufficiat causa merè privata, vel publica exigatur. Sufficere privatam, sive speciale aliquod commodum professi v.g. continentiae votum

Solenne ob nimiam carnis fragilitatem difficillimè & non sine frequenti lapsu observantis, voluit Richardus in 4. disp. 2. art. 9. q. 1. Quam ejus Opinionem tanquam falsam rejiciunt Medina de Sacer. bom. Continentia, cap. 37. ad finem. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. & Sanchez Lib. 8. de Matrim. disp. 8. n. 8. ad hujusmodi voti relaxationem publicam & valde urgentem, v.g. Regiæ vel principalis stirpis propagandæ, pacis vel Religionis in regno vel provincia conservandæ vel promovendæ, causam exigentes, cum; quod dispensationis in hujusmodi voto ad conjugium ineundum, ex causa merè privata concessæ, nullum extet exemplum: cum verò; quod talis dispensatio fieri nequeat sine Clericali aut Religiosi Status decemto: quod solius privati boni immutari permitti non sinit ratio naturalis, bonum merè privatum publico subordinatum. Rationi huic non leve robur inde accedit quod, cum memorata eique similes dispensationis causæ merè privatae legitime subsint, si ejusmodi aliqua sufficeret & publica non exigeretur, cum Religiosorum professis & clericis in Sacris constitutis ad conjugium ineundum dispensationes frequentissimæ forent; earum tamen frequentia in Religiosi & Clericali Status labefactionem & opprobrium manifestè vergat: & quod ad Religionis privatæ utilitatis prætextu detendendas plurimi invitarentur, publicæ sit perniciofa.

ARTICULUS IV. De Voto Obedientiæ.

SUMMARIUM.

57. Ista persona subicitur gubernationi Prælati:

- 58. Cujus præceptum violans contra Obedientiam,
- 59. Et Justitia virtutes delinquit.
- 60. Obedientiam Religiosus debet Prælato suis Regularibus,
- 61. Et multo magis Papa:
- 62. Imò & Episcopo diocesano.
- 63. Huic tamen eam non debent Exempti,
- 64. Et quoad disciplinam Regularem etiam alii Religiosi:
- 65. Nisi ejus observantiam negligat Prælatus Regularis.
- 66. Abbatissa in Moniales non Jurisdictionis
- 67. Sed Domestica solum competit potestas.
- 68. Obedientia non debetur Prælato præcipienti inhonesta.
- 69. Et que extra Regulam sunt:
- 70. Nisi amplius aliquid exigat speciale Institutum:
- 71. Ad cujus conservationem necessaria sub Regula sunt.
- 72. Religiosi tenentur ad asperitates Regule primæ,
- 73. Sub Ordinis sui votis comprehensas.
- 74. Idem tenentur ad observantiam Regule Reformatæ:
- 75. Præferimus, si laxior observantia introducta non congruat fini,
- 76. Et Votis substantialibus Religionis.

57. **C**onsiliorum Evangelicorum & Statum Religiosum constitutum votorum postremum est Obedientia: quam Deo promittens seque Religionem tradens propriæ voluntati renuntiat; ut jam proprium velle ac nolle non habeat. *c. Si Religiosus* 27. *pr. de Elect. in 6.* seque Prælati gubernationi subjiciens obliget ad obtemperandum in omnibus, quæ honesta justâ

que & Regulæ conformia sunt, ut paulò post statuetur ad mentem S. Thomæ 2. 2. q. 186. art. 9. Laiman *Lib. 4. Tract. 5. cap. 9. n. 1.* & Donati *Tom. 4. Prax. Regul. tract. 17. q. 4. n. 1.* Juxta quam explanationem Obedientiæ voto, in quacunque approbata Religione præstito Deo, adjuncta est traditio sui, seu personæ voventis actualis translatio in Religionem cum promissione ejus Prælati præcepta exequendi: quæ ab isto acceptatâ Religionem, cujus nomine acceptatio fit, acquiritur jus & quasi dominium in personam voventem, & hæc ipsi incorporatur perficiturque contractus & mutua obligatio, quæ Professum inter & Religionem intercedit, ut rem hanc perquam eleganter & accuratè declarat Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 5. n. 5.* Unde

Inferitur, ex Professione, uti & Simplicibus Religionis votis, in Societate JESU post Novitiatu biennium emissis, & à Prælato vel alio potestatem habente acceptatis, confurgere obediendi obligationem duplicem. Unam ortam ex voto seu promissione Obedientiæ factâ Deo: alteram ex illa sui traditione, & huic adjuncta aut virtute in ea contenta promissione, respiciente Religionem; ac proinde in voti Obedientiæ violatione contineri malitiam seu peccatum duplex. Unum contra Religionem in transgressionis voti seu promissionis factæ Deo: alterum contra Justitiam, imò & fidelitatem, in juris ex ista sui traditione eique adjuncta promissione Religionem quæ sit læsione consistens, ut advertit idem Suarez *cap. 6. n. 1. & 2.* cujus doctrinam non obscurè Donatus *cit. q. n. 6.* & perspicuè approbat Palao *Tract. 16. disp. 4. p. 1. n. 3.* Hæc satis certa.

Dubium est primò, cui Religiosus vi Obedientiæ ita promissæ teneatur obedire. Certum est primò, quemlibet obedire

58.

59.

Uuuu a

bedire teneri Pralato seu superiori suæ Religionis Locali, Provinciali, Generali, observatâ tamen eorum subordinatione; ut Provincialis potius quàm Localis, & præ istorum utroque Generalis mandata observentur, juxta *can. Que contra 2. disp. 8. ibi, Major potestas minori ad obediendum præponitur, & can. Qui resistit, 11. q. 3.* Ratio est; quòd, cum huic Obedientiam illorum uterque, Provinciali Localis superior debeat, præceptis à Generali contrarium neuter, & quod à Provinciali mandatis adversatur, Localis superior præcipere non possit; ac proinde præ utroque Generali, Provinciali præ Locali superiore sit obtemperandum, Sylvester *V. Obedientia, q. 10. & cit. Sanchez cap. 11. n. 6.*

61. Certum est secundò, omnes utriusque sexûs Religiosos non minùs quàm propriis Ordinibus sui Prælatis, imò præ istis obedire teneri summo Pontifici, ea quæ Regulæ conformia sunt, præipienti; quia ipsi non tantùm ratione jurisdictionis in omnes Christi fideles competentis, sed ex voto etiam Obedientiæ, tanquam supremo & generali omnium Religionum Pralato & aliorum Capituli subjiuntur; neque enim Religiones ab ipso aliâ ratione, quàm ut supremus earum Prælatus esset, censentur approbatæ, Navarrus *Manual. cap. 12. n. 76. cit. Suarez cap. 11. n. 13. & Laiman cap. 8. n. 3.*

62. Dubium autè & controversia primò est de Episcopo. Non quidem quoad Moniales; quia, cum istæ, quando exemptæ non sunt, Obedientiam Episcopo promittant, ei Regulæ conformia præipienti non minùs quàm exemptæ proprio suo Pralato Regulari, & potius quam Abbatissæ, Priorissæ &c. obedire tenentur, Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 1. n. 11. & Palao cit. disp. 4. p. 2. n. 5.* Neque etiam quoad easdem & Religiosos e-

tiam exemptos; quia, cum istorum superior quoad observantiam Regularem non sit, vi voti Obedire ipsi non tenentur, Sanchez *n. 13. & Palao n. 5.*

Sed quoad non-exemptos: quos ex voto ipsi obedire teneri, cum Petr. Leodesina *Tom. 2. Summa, Tract. 10. cap. 7. n. 2.* sustinent *cit. Palao n. 16. & Donatus q. 30. n. 4.* cum; quòd quatenus Papa respectu totius orbis Christiani Episcopus valeat respectu propriæ sue diocesis, nisi ejus potestas Apollolica reservatione sit restricta; ac proinde vi voti sicut Religiosi quicumque Papa, non exempti Episcopo ad Regularem disciplinam pertinentia præipienti obedire teneantur: tum verò, quòd non-exemptorum Prælatis in Religiosos sibi subiectos jurisdictionem immediatè non accipiunt à Papa, sed ab Episcopo; & propterea illis subditi Religiosi Episcopo potius quàm Pralato suo Regulari, tanquam sibi immediato & principali suo Pralato, teneantur obedire. Verissimè tamen, Religiosos non-exemptos, qui Obedientiam Episcopo tanquam proprio suo Pralato specialiter non vovent, ad ipsi ratione voti obediendû neutiquàm adstringuntur. *Quandò 7. de Offic. Ordin. notant Innocent. n. 2. Panormit. n. 5. Laiman n. 4. & ex aliis defendunt Sylvester 7. Obedientia, q. 8. Sanchez cit. cap. 1. n. 12. & Pirrhing ad Rubric. cit. n. 58. pro se allegantes D. Thomam 2. disp. 44. in fine in Exposit. lit. ad 3. Rationem reddunt quòd Religiosa vota emittentes Obedientiam solummodo promittant Abbati & ipsique regimini se submittant; & propterea obligatione ex Obedientiæ voto orta & quoad observantiam Regularem Abbati potius, quàm Episcopo obedire teneantur; ex eo enim & non aliunde provenit, quòd Monachum Episcopus non nisi de Abbatis sui voluntate valeat ordinare.*

ordinare, ex Gregorii Pape rescripto & decreto Concilii Carthaginensis 7. can. 1. & can. 58. relatis: & non habeat potestatem irritandi vota, sicut eam respectu omnium Regularium habet Papa, ut verius censet Suarez cit. cap. 11. n. 17. ubi & Lib. 6. de LL. cap. 14. n. 6. negat ab adversa parte allegatam paritatem inter Potestatem Papalem respectu totius Orbis & Episcopalem respectu aliquis diocesis, cujus vanitas satis ostensa est Lib. 1. Tit. 31. an. 81. Unde firmum non est, quod in contrarium deductum est, prius argumentum.

Non firmius est alterum; quia, esse Regularium non-exemptorum Prælati jurisdictionem immediatè accipiant ab Episcopis, non tamen istis promittitur Obedientia, sed Prælati Religionis; à quibus etiam Dei & Religionis, non Episcopi, nomine acceptatur votum Obedientiæ & huic adjuncta sui traditio ac promissio honestis ac Regulæ conformibus ejus præceptis obtemperandi. Unde, licet ejusmodi Religiosi tanquam clerici vel personæ Ecclesiasticæ non-exemptæ Episcopo subiciantur in iis, quæ pertinent ad disciplinam Ecclesiasticam, per se tamen non ei, sed Prælati tantum Regularibus subiciuntur quoad observantiam Regularem: & quoad hanc istis potius, quam Episcopis tenentur obedire, arg. can. cit. ut cum cit. Doctore Angelico rectè observat Sanchez cit. n. 12. & cit. Tit. 31. n. 68. est insinuatum. Per se, inquam; quia per accidens, si Prælati in disciplina Regulari conservanda eique adversantibus erratis corrigendis, etiam post monitionem factam, negligentes sint, observantiam illam urgere & transgressores corrigere ac punire, e. Quanto cit. & variis casibus etiam contra exemptos procedere Episcopi possunt: non quidè ratione Obedientiæ sibi promissæ,

sed ratione jurisdictionis, in omnia loca & personas Ecclesiasticas non-exemptas ipsis competentis; ut officio & obligationibus undecunque provenientius faciant satis, ut in e. cit. notant Panormit. n. 3. & Laiman n. 4.

Dubium & controversia est secundò de Abbatissa, Priorissa & similibus feminis, Monialibus præpositis. De quibus dubitandi minimè levis ratio est; quòd, cum spirituales jurisdictionem non habeant, imò, communi Jure spectatò, ejus sint incapaces, sibi subditis Monialibus præcipere nequeant in virtute Obedientiæ. Unde neque istæ vi voti & promissionis Obedientiæ ipsis tenebuntur obedire; quia præcipere & obedire sunt correlativa; ut ratione & vi voti Obedientiæ quis obtemperare non teneatur, nisi ei, qui ratione & vi voti præcipere potest.

Verum, licet Monialium præpositæ quæcunque, potestate Clavium, e. Nova 20. de Penit. & remiss. & in hac fundata spirituali jurisdictione, & in virtute Spiritus sancti aut sanctæ Obedientiæ vel sub censuris aliquid præcipiendi prohibendive potestate careant: habent tamen in Moniales potestatem Dominativam & Domesticam, ortam ex professione & huic adjuncta sui traditione atque obediendi promissione: cujus ratione & vi etiam ipsæ Monialibus ad Regularem observantiam pertinentia, v.g. ut frequentent chorum, imposita munera obeant, clausuram accuratè observent; ne externis colloquantur, mittant manna, literas dent vel accipiant, præcipere vel prohibere easque ad hujusmodi præcepta implenda etiam graviter valent obligare. Ita cum cit. Sanchez cap. 1. n. 7. & Suarez cap. 11. n. 20. Tamburinus de Jure Abbatissarum disp. 12. q. 5. n. 3. & Donatus cit. Tract. 17. q. 32.

Dubium tertio est, quæ Religiosis præcipi

U u u 3

66

67

68

præcipi à Prælatis possint. Generaliter quamlibet rem honestam ipsis præcipi ab his posse, suadet non contemnenda ratio; quòd Obedientiam promittendò propriam voluntatem abdicarint, & submiserint Prælato; ut jam velle ac nolle proprium non habeant, *et. Si Religiosus cit. & can. Non dicatis 12. q. 1.* Unde Prælato suo, quamlibet rem honestam & peccatù non continentem præcipienti, obtemperandi necessitate teneri videntur, præsertim in Religionibus, quarum Regulis præscribitur; ut ei obediant in omnibus iis, in quibus manifestum peccatum non cernitur, ut Societatis JESU Constitut. p. 3. cap. 1. n. 23. & p. 6. cap. & n. 1. habetur.

69. Nihilominus D. Thomæ 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. cæterorumque primi nominis ac notæ T. T. & à S. Bernardo Lib. de Precept. & Obed. cap. 7. tradita doctrina est, Religiosis subditis præcipi à Prælato non posse, quæ extra Regulam sunt; ut adeò obligari ab his nequeant ad ea, quæ neque expressè neque tacitè vel implicite in Regula continentur. Ratio est; quia Prælati autoritas sive potestas præcipiendi, & obsequendi necessitas, quæ tenentur Religiosi, oritur ex sui traditione cum promissione obediendi; cum enim ista subiectio omnino voluntaria sit, eorum Religioni se tradentium voluntatem ac promissionem non excedet: ipsi autem se tradendò obedientiam tantùm promiserunt secundùm Regulam Instituti, quod sunt amplexi; ac proinde ea, quæ contra vel extra Regulam sunt, neque præcipi possunt à Prælato, neque Religiosi exequi tenentur; quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *arg. l. Non omnia 19. ff. de Reb. credit.*

70. Ne autem cum hac sententia pugnent allegatæ Societatis Constitutiones, memoriâ retinenda est, iam à S. Patriar-

cha Benedicto prodita, & à S. Thomæ l. cit. & 2. diff. 44. q. 2. art. 3. relecta distinctio Obedientia triplicis: quarum primam meritò Indiscretam & Obedientia nomine indignam vocat; quòd de rebus illicitis & ut FF. Minor. Regule cap. 10. loquuntur, contra animam sit. Altera dicitur Sufficiens & vi votorum à subditis debita Prælato, non tamen perfecta; quæ omnibus Religiosis est communis, & ad ea duntaxat se extendit, quæ in Regula explicitè vel saltem implicite & virtualiter continentur, & pertinent ad observantiam Regularem. Tertia Perfecta dicitur; quòd nullis terminis coarctetur: sed se extendat ad omnia, in quibus manifestum peccatum non cernitur, neque præcepta duntaxat, sed bona etiam voluntatis superioris observat quam S. P. Ignatius in Constitutionibus cit. n. 23. & n. 1. alumnis suis omnibus & FF. etiam Minoribus commendat ipsorum Regula cap. 10. cit. Obedientiam exi- gens in omnibus, quæ non sunt contra Regulam & animam.

Quod, licet verissimum sit, non tamen, ut Lessius Lib. 2. de l. & l. cap. 44. n. 77. existimat, in his omnibus Obedientia superiori debita est vi voti; quia dictæ Constitutiones & Regula non loquuntur de rigore Obedientia, quæ vi voti debita est: sed de Perfectissima, ad quam S. P. N. Societatis Religiosos omnibus viribus voluit committi; cum, si ea debita esset ex voto, Religiosi ad impositas sibi quasvis austeritates obligarentur, Corduba in Regulam S. Francischi cap. 10. cit. q. 2. diff. 1. cit. Sanchez cap. 2. n. 16. Suarez cap. 8. n. 6. & Tom. 4. tract. 9. lib. 4. cap. 12. à n. 10. & Palao cit. diff. 4. p. 4. n. 3. Unde

Dubium quartò est, quamnam Regulam tacitè sive implicite comprehendat sentiantur. Mihi præ aliis semper placuit ex-

cuit explicatio S. Thomæ *cit. q. 2. art. 3. cit.* Sanchez *cap. 2. n. 9.* & Suarez *cap. 8. n. 7. & 13.* Regulâ ita comprehendit, asserentium omnia, quæ moraliter necessaria sunt ad conservationem Institutii & ipsius Regulæ expressæ observationem: sicut sunt mutua officia & obsequia fraternæ Charitatis, munera seu functiones & negotia Ordinis, correctiones & pœnæ ob votorum Regularium & multò magis Divinorum aliorumque præceptorum omnibus Christianis communium transgressionem inflicta, mortificationes, poenitentia, aliæque piæ opera & exercitia, multum conducentia ad ejusmodi transgressiones in futurum vitandas, aut etiam mala & calamitates publicas avertendas: & in Societate nostra specialiter Missiones ad Indos, Saracenos & quaslibet mundi partes pro conversione Infidelium, Hæreticorum & Schismaticorum ad Ecclesiæ gremium reductione & unione, aliisque labores ac functiones obeundæ pro salute animarum. Imò ista ipsa ejus Regulæ expressè continentur *Constit. p. 9. cap. 5. n. 9.*

71. Dubium quintò est, an Religiosi obligentur ad asperitates Regulæ primæ, & etiam si ea cum tempore sit relaxata. Dubitandi ratio est; quia Regulæ observandæ obligatio oritur ex voto, eique adjuncta & per omnia respondente promissione: votò autem Obedientiæ promittitur Obedientia secundum Regulam à Sede Apostolica approbatam, qualis primæva: non ab ea deviantium hominum malitiâ corrupta est, sicut est relaxata & moderna. Rationi huic non nihil deferendum, & discrimen faciendum est inter asperitates; vel enim istæ ab ipso Religiosis exordio includuntur in ipsis votis, vel non? si posterius hoc, ad earum observantiam Religiosi non tenentur; quòd non-usu seu contraria &, ut sup-

pono, legitime præscriptâ consuetudine iis sit derogatum: & derogari potuisse, indubitatè defumatur ex *e. fin. de Consuetud.* Si prius, & vota, ut nunc emittuntur, quoad tenorem ac sensum mutata non sunt, ad eorum observantiam omnino tenentur; quia ex proprio voto ortâ obligationi, cum Naturalis & Divini Juris sit, non-usu seu consuetudine contrariâ nequit derogari, *e. fin. cit.* Aliter res se haberet, si modernis votorum sensus non idem esset cum primævo, & asperitates non, ut olim, etiam hodie votò comprehenderentur; tali enim casu eas observandi obligatione Religiosos hodie non teneri, præter alios DD. censet Palao *cit. p. 4. n. 9.*

72. Dubium sextò, & magni momenti controversiâ est, de Regula Reformatâ, an ad ejus ad primævum rigorem reductâ observantiam etiam teneantur, qui Religionem professi sunt ante reformationem. Rationes dubitandi de utraque parte non leves sunt: & Affirmativam quidem valde difficilem reddit; quòd Religiosi vi voti solummodo obligentur ad Regulam & observantiam, ad quam in Professione se obligarunt: istâ autem solummodo se obligarint ad observantiam Regulæ, privilegiò vel consuetudine primævo vigori contrariâ mitigatâ & relaxatâ; non secundum primævi rigorem accuratâ & reformatâ. Negativa non magis expedita est; quòd Religionum Prælati cum Capitulo generali collapsam disciplinam erigere, & conditis etiam novis Ordinationibus reparare permittantur *e. fin. & Clement. 1. hæc Rubr.* uti etiam à Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Regular.* quod cum effectu vix, & ne sic quidem possent, si Religiosi ab ipsis salubriter ordinata, & relaxatâ vel omnino collapsæ Regulæ reformationem ad præstinam observantiam acceptare non tenerent.

tenerentur. Quarum rationum vi in diversa distractorum DD. contrarias Opiniones, si possunt, in concordiam reducere juvat ope distinctionis inter tres modos relaxationis.

Et primo quidem, si Regula privilegio Apostolico, vel ab ipso Ordinis Prælato & Capitulo ex justa causa mitigata sit, ejusque præsens observantia nemini offendiculo; & Religiosis secundum eam viventibus via ad Perfectionem commoda sit, ejus ad primævum rigorem redactæ reformatione eos, qui ante hanc professi sunt, non teneri, ratio dubitandi prior omnino evincit, & cum *cit. Suarez cap. 8. n. 17.* & aliis tradit Palao *cit. p. 4. n. 11.*

75. Secundò contrà, si Regula transgressionum frequentium continuatione & superiorum ejus observantiam non promoventium negligentia cum tempore ita relaxata sit; ut secundum præsentem ejus observantiam viventium pauci vota observare & ad Religiosam Perfectionem pervenire studeant; ideòque aliis scandalo & occasio querelarum sint, ejus reformatione etiam tenentur, qui eam ante hanc sunt professi; cum propter rationem dubitandi posteriorem: tum verò; quòd hujusmodi Regulæ relaxatio ad Religionis dissolutionem aperte tendat; & propterea irrationabilis & non tam Consuetudo sit, quàm Corruptela: quæ quantocunque, etiam immemoriali tempore observetur, pristina Regulæ non potest prævalere, aut ab ejus ad pristinum vigorem reformatæ observatione subditos deobligare, Felinus in *c. Cum omnes 6. de Constitut. n. 15.* Sylvester *V. Religio 6. q. 6. cit.* Sanchez *cap. 2. n. 75.* & Suarez *cap. 8. n. 20.*

76. Tertio, si Regulæ primævæ accurationi prævaluit consuetudo: quæ, licet Religionis substantialia convellendi e-

jusque dissolvenda aut scandalorum periculum non inductum, complures tamen asperitates & ad perfectionem assequendam multum conducentes observantia cum tempore sublata sunt: eorum Apostolica, vel etiam Prælati & Capituli generalis reformatione ad primævum statum reducatur, ut ei reformatione se conforment, obligari probabiliter etiam possunt, qui eam nondum reformatam sunt professi, ut cum Panormi *in c. Super eo 9. de Regul. n. 5.* & alii docent *cit.* Sanchez *n. 31.* & Suarez *n. 14.* Ratio est; quia, licet per continuatas etiam peccaminosas transgressionum cum tempore introducta consuetudo, quamdiu duravit, Regulæ obligationem relaxandi vim habuerit, *arg. cit. in fin. de Consuet.* non tamen Papa & ipse etiam Religionis Prælati & Capituli abstulit potestatem, ipsa per reformationem sublata, Regulam pristino vigori restituendi, aut ad restitutæ observantiam subditos obligandi, *arg. c. in Comm. & Trident. cap. 1. cit.*

Neque obstat ratio prior; quia sponte sua Religionem professus tunc se tradere & Prælato promittere censetur, quòd paratus esse velit ad amplectendam, quæ ad bonum Religionis statum conservandum reparandumque & ad Perfectionem à Religionis fundatoribus propositam valde conducenda sunt; ideo enim Novitiis Regulæ à fundatoribus præscriptæ tenor prælegi & explicari solet, vel legendus exhiberi. Unde ad reformationem admittendam etiam vi voti tantum obligari videntur; dummodo per eorum votis accidentariæ asperitates valde graves, & rigor à præsentis observantia valde diversus & vitam multo difficiliorum reddens non inducatur; quia, etiam ad talem votò se obligare voluisse, prælati mi rationabiliter non possunt. TITU.